

suorum igne pugnant: similiter demones in inferno sic ignis iræ potens est ad destructionem bonorum operum dominus etiam igne amoris accendere, & ardere voluit in mundo, iuxta illud Luc. 12. Ignem veni mittere in terram, & quid uolo, nisi ut ardeat. Ignem etiam istum misit ad destructionem ignis diaboli, scilicet ignis iræ. De igne enim iræ potest intelligi illud Iohel. 3. Ad te domine clamaui: quia ignis comedit speciosa deserti, pulcritudinem eius partem deserti comedit. Inobiles & diuites quod ad mundum speciosos. unde Ecclesiast. 28. Secundum enim ligna siluæ, sic ignis exardescit, & secundum virtutem hominis sic iracundia illius erit, & secundum substantiam suam exaltabit iram suam. Secundum ira placet diabolo in hoc, quod cæcitatem facit in homine. Vnde sicut, prout dicitur Proverbiorum 14. Acceptus est regi. scilicet minister intelligens: sic diabolo acceptus est minister cæcus. Diabolus enim similis est coruo: quia sicut coruus veniens ad cadaver primum currit ad oculos: sic diabolus vult hominem primum execrari, sciens quod postea precipitare poterit eum ad libitum in foueam peccati. Tertio ira placet diabolo: quia per iram multum dominatur diabolus homini: non enim timet homo iratus facere, quæ diabolus precipit sibi, quantumcunque magnum sit peccatum, non parcat patri, nec matri, uxori, nec filiis, quin quandoque proiciat eos in ignem iracundiæ. Et ideo dicitur Proverbiorum. 17. Expedit magis vrsæ occurrere raptis satibus, quam furuo, scilicet iracundo. confidenti in stultitia sua. Quarto placet ira diabolo: quia cum hoc vitio non lucratur diabolus unum, & unum, sed aliquando totam domum, aliquando totam civitatem, & aliquando totam patriam siue regnum. Vnde iracundus rixas prouocat more canis alios mordendo, & latratu suo alios ad iram concitando. Vnde Proverbiorum 7. Vir iracundus prouocat rixas, qui autem patiens est, mitigat fuscitatas. Et quantum ad tertium, scilicet quod ira proximo nimis iniuriatur, patet ex hoc, quod ferre omnia mala, quæ inferunt homines proximis ex ira vitio pullulantur. & ideo deberet

homo se multum temperare ab ira: quia nisi hoc, hoc fecerit intolerabilis erit suis proximis. Vnde prouer. uigesimo septimo Graue est saxum, & onerosa est arena, sed ira stulti utroque grauior. Item in eodem capitulo. Imperum concitauit spiritus sustinere quis poterit. Item prouerbiolum 28. Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere. Homo enim iracundus precipue est onerosus amicis suis & familiaribus. vnde prouerbiolum 22. Noli esse amicus homini iracundo. Dicit Holgot in lectura libri Sapientie lectio ne. 127. quod ira subtrahit proximo affectum debite beniuolentie: tenetur enim homo saluare substantiam, famam & personam: sed contra ista ira compellit ad prouocandum proximum in substantia depredando, in fama diffamando, & in persona crudeliter cruciando. vnde Ecclesiast. 27. Ira & furor utraq; execrabilia: quia ut dicitur Ecclesiast. 28. Obiurgatio, & ira annihilant substantiam. Dicit enim Aristoteles libr. tertio de animalibus, quod apes cum amiserit aculeum, cito moritur: sic spiritualiter est de iracundo appetitio vindictæ: dum enim exercet malitiam suam contra proximum opere eum lædendo in substantia, persona, vel fama, prius spiritualiter interficit seipsum. unde Iob 5. Virum stultum interficit iracundia. Et quantum ad quartum, scilicet quod proprio subiecto multipliciter nocet, patet. Nam primo uitam suam abbreviat, vnde Eccle. 30. zelus & iracundia minuunt substantiam. Secundo nocet, qui possessiones minuit. Nam homo iracundus aliquando pro una alapa perdit centum libras. vnde Ecclesiast. 20. Obiurgatio & iniuria annihilant substantiam. Tertio ira proprio nocet subiecto: quia seipsum excæcat. vnde Iob 7. Caligauit ab indignatione oculus meus. Iræ psal. Supercecidit ignis & non viderunt Solem. Ignis enim iræ non permittit hominem videre solē iustitiæ. unde psal. Turbatus est a furore oculus meus. Holgot. n. ubi prius. Ira inquit proprio subiecto subtrahit tria bona. Primum namque destruit honestatem corporalis dispositionis. unde quantumcunque homo sit persona pulchra, ira est in suo impetu deformat: nam oculos subuertit, genas ni-